


SCALIGERO (Giulio Cesare)

ADAMANTII CATELLI TUMULUS (465 vers)



Frontispice de l'édition de Heidelberg (?), 1574

T\_1 v.1 Quis putet effetae reptantem ad minina vitae  
2 atrato amissum carmine flere canem ?  
3 Flevimus : et tenerae Aonia de rupe sorores  
4 auxerunt fletus flumina fontis aquis.  
5 Quin natura, dolens frustra omnibus artibus olim  
6 tanta opifex iterum posse redire sibi,  
7 luget : et attonito lugens maerore, stupescit,  
8 tantum Atropo immiti nunc licuisse nefas.

T\_2 v.1 Adamantille tenellule,  
2 fessi deliciae senis,  
3 vultus percipiens heri,  
4 vocis praeveniens notas,  
5 verno sidere blandior,  
6 quod lenes Zephyros vehit,  
7 me mi paene fidelior,  
8 olim heu. Nunc ubi tot bona  
9 delevit rapiens dies,  
10 invexit subitus dies

11 maerores nigricantibus  
 12 curis, quas lepidis modis  
 13 ablegare sueveras.

T\_3 v.1 Puro candidior catelle cycno,  
 2 saeviente protervior puella,  
 3 quae optat, quod timet ; et timet, quod optat ;  
 4 quo caret, cupit, impotens habere ;  
 5 ast illo, quod habet, cupit carere ;  
 6 idem ardentior impigro leone,  
 7 quem refers animo, ut toris jubarum ;  
 8 cita fulminis acrior sagitta.  
 9 Idem blandior omnibus cachinnis,  
 10 quos lasciva procax quatit Neaera ;  
 11 quo te proripis ? Aut cui parabis  
 12 blandum assultibus impetum retortis ?  
 13 Cui tot ludicra, morsiunculasque ?  
 14 Cui tam gratus es omnium futurus ?  
 15 Quis dabit tibi suaviationes ?  
 16 Quis in auriculas leves susurros ?  
 17 Invidit ne Hecate meos amores ?  
 18 Et te candidulo tenelluloque  
 19 pulchritudinis aemulatione  
 20 quae sivit superare regna Ditis ?

T\_4 v.1 Age cane tener anime catulum,  
 2 ubi mera Venus erat, ubi vitrea Fides.  
 3 Age sacra lyra socia numeri  
 4 repete, quod alibi facis, agilis opifex.  
 5 Nigra tamen ea vehe, quae abigeres  
 6 propitia precibus ab hilaribus Elegis.  
 7 Ita modo tibi, mihi, mihi et aliis  
 8 lepidae animae Atropos agit avida lacrymas.

T\_5 v.1 Possum fundere fletum,  
 2 et producere fletus :  
 3 jus praestare sepulcri,  
 4 et vesanus haberi.  
 5 Haec, vesania vera :  
 6 illud, flos pietatis.  
 7 Sit vulgus procul a me ;  
 8 et plusquam sapientes.  
 9 Tantum est. Inter utrumque.

T\_6 v.1 O qui fuisti flosculus catellorum,  
 2 quoscumque terra condit, aut alit vivos :  
 3 sive Arcas in venatibus feris princeps ;  
 4 seu se Diana cum jugis suis jactat.

5       Seu Melita primas concupiverit laudes :  
 6       te namque genti comparare Neptuni,  
 7       et impudicae mentis, et foro captae,  
 8       insanientis, duriter cerebrosae.  
 9       Astraea mitis, et Gigas procellose,  
 10       quamquam recepti siderum in choros, flagrant  
 11       maleficiis infamibus canes vestri.  
 12       At tu catelle, vere rex catellorum  
 13       idemque vitam flos colentium rerum,  
 14       lux delicata, corculumque Naturae,  
 15       cui tam superbis versibus parentamus :  
 16       postquam dolentem sicerum reliquisti :  
 17       quo te migrasse dixerim ? Quibus diris  
 18       onerabo fata fascibus querelarum ?  
 19       Illis ne dicam luctuosus invitis,  
 20       in mente grata, in aureo meo versu  
 21       perennitatis regna te reperturum.

T\_7       v.1               Tunc es ille feroculus  
           2               stipator lateris mei,  
           3       seu campos peterem, sive domi manerem ?  
           4               Tu ne es vivida formula,  
           5               tunc lex sola, merus modus  
           6       naturae meditantis rabiem leonis ?  
           7               Quae te robore fortior,  
           8               major corpore quae fera  
           9       tantillum regredi compulerit sequentem ?  
 10               Tu saevas hiemis minas,  
 11               spretis deliciis tori,  
 12       mecum tam patiens, quam rigidus tulisti :  
 13               seu nos eliceret dies  
 14               extra limina : noctibus  
 15       seu libros sererem, aut excuterem profundis.  
 16               Pernox frigore sub fero,  
 17               quo sum debilis, assidens  
 18       lucubrantem animo, et pectore pertinaci.  
 19               Quare quod prius hauserim  
 20               te custode favente te,  
 21       hic dependo libens, ac potius repono.

T\_8       v.1       Si mihi tecum reliquos in annos,  
           2       quos ferum Fatum miseros paravit ;  
           3       (nam bonos sanctae pietatis expers  
           4               lancinat atrox)  
           5       o decus rerum lepidum mearum,  
           6       protinus tandem licuisset olim  
           7       esse securo, neque cogitanti  
           8               vulneris hujus ;  
           9       tu gravis gratum seniis levamen  
 10       lene, curarum dominus ferarum  
 11       unus, et solus comes exstitisses  
 12               parve Adamanti.

- 13 Nunc quid incusem hic , homines, Deosne ?  
 14 Quem monebo tam calidis querelis ?  
 15 Quave te quaeram, inveniamve nulla  
 16 merce redemptum ?  
 17 Heu quasi exstares, quoties vocavi ?  
 18 Error heu quantum placuit ? Misella  
 19 sicut amissam vitulam, aut juvencum  
 20 bucula quaerit.  
 21 Illa si dumos virides lacertos  
 22 audiit motare : micat repente  
 23 auribus, fictum metuens metum, et vanam  
 24 anxia silvam.
- T\_9 v.1 Animula tremula, misera loca subige fuga.  
 2 Quid aliud aveo ? Lacryma pia vocat.  
 3 Periiit, et abiit animus ; ut is obeat ibi,  
 4 latet ubi lapide gelidulus adamas.
- T\_10 v.1 Mihi dicte pater alme, mihi dicende quietis,  
 2 tacito qui pede furvae bona noctis  
 3 reduci substituis grata diei.  
 4 Age linquens animarum triviae regna silentum,  
 5 vitrea desidis aspergine Lethes  
 6 animi pervigilem tange recessum.  
 7 Decimus Phoebus equis me celer afflavit anhelis :  
 8 totidem candida noctes soror atras  
 9 lacrymanti reparato tulit orbe.  
 10 Adamantillus amorum comes almus lepidorum  
 11 abiens, nec redimendus pretio ullo  
 12 renovavit fera diri mala luctus.  
 13 Igitur si veterum dicta virorum sapientum  
 14 Orionis sine probro canem ad astra  
 15 retulerunt, ibi fulgebit et ille.  
 16 At o altis nove flammis date civis, heri ab ore  
 17 numerosum meditantis cape luctum,  
 18 nitida afflans querulum barbiton aura.
- T\_11 v.1 Martis habens Narbo monumenta, terror hostium  
 2 frons fida Galli limitis, regni decus ;  
 3 sic tibi Doris aquas a faece puras liberet ;  
 4 et munda lenis Nereus lambat vade :  
 5 marmora mitte mihi, quibus sepulcrum construam.  
 6 Namque hinc Carystus, Africa, et Luna est procul.  
 7 Si rogites, tumuli cui comparetur splendor hic :  
 8 Adamantio catullo, et cordi meo.
- T\_12 v.1 Dic age, dic catelle ;

2       ecquid es maestus, miserum cum dominum relinquis ?  
 3               Est tibi sensus ullus ?  
 4       An simul molles animae hinc in Zephyros recessus ?  
 5               Unde igitur serena  
 6       tanta vis mentis liquidae in corpore delicato ?  
 7               Articulis soluta  
 8       vox repraesentans vegetae defuit una linguae.  
 9               Heu quot (inane fatum)  
 10       turgidi fastus hominum nomina jactutabunt ?  
 11               Si bene credo : nullis  
 12       artibus tecum meritos, quos nego, comparari.

T\_13    v.1       Qualis labori femina perpeti  
 2               cum cessit, artus ut foveat suos.  
 3               Nam virium exhaustit tenorem  
 4               nox pigra continuata luci ;  
 5       pensi futuri (sic decuit) memor,  
 6       quod aut heriles insinuant minae,  
 7               aut liberorum multitudo ;  
 8               supposuit cineri favillam.  
 9       Diu latebant exiguae foci  
 10       praedes, fideli tegmine conditae ;  
 11               mox impotentes excitata  
 12               flamma ruet crepitante vento.  
 13       Crementa miris tunc capiens modis  
 14       victrix tyranno transilit impetu :  
 15               et saepe totas immerentes  
 16               improba depopulatur urbes.  
 17       Sic me parumper sub Genio poli  
 18       verni, serenum sideris halitu  
 19               abduxit a maerore captum :  
 20               composuitque animum quieti.  
 21       Mox ad vireta et lumina fleximus ;  
 22       et pignoris nos admonuit locus :  
 23               crux ex dolore fit, quod almas  
 24               delicias aliis paravit.

T\_14    v.1       Matuta parens aurea lucidae diei,  
 2               quae saltibus arentibus, aridisque lamis  
 3               humoris agens munera rosidi reponis.  
 4       Terrore feras excute de suis cavernis  
 5       atque agricolis operas fer laboriosas.  
 6       Nostram pia mentem exue cogitatione  
 7       ne ignava creent otia flammeos dolores.  
 8       Qui se comites fletibus induant medullis.  
 9       Nam pene sepultum obruit hic dolor misellum.  
 10       Cum e mente necem non queo delere catelli.  
 11       Jam laeta seges contegit alta terga matris.  
 12       Cessit vitreus jam color a tepore veris  
 13       fraudans roseo lumine flosculos nitentes.  
 14       Ecce manum poscit seges. Ecquid heu moror me ?  
 15       Quominus esse virum me vel semel recorder ?

- T\_15 v.1 Gravis aegra, maligna dies  
 2 fera carnificis filia fati :  
 3 memorem quid amara mones,  
 4 socio amisso, vulneris atri ?  
 5 Coalescentia refricans ?  
 6 Duroque jubes tumuli imperio  
 7 maerore lavare notas ?  
 8 Nec erit pudor, aut modus, aut requies ?  
 9 Quin plus sat hoc esse putans  
 10 me fleo potius, quod fleo catulum ?
- T\_16 v.1 Postquam me nequeo praecipiti temperare luctu,  
 2 et quo magis retro pedem, me miserans, refero,  
 3 hoc tanto magis ille indomitus pertinax perurit :  
 4 effunde habenas ; lacrymas Musa vocata voca.
- T\_17 v.1 Heu quoties subit imperiis decus obsitum ruinis :  
 2 servire meque conspikor.  
 3 Quis dubitet tum supremae mihi terminum diei  
 4 optare ? Nolle vivere ?  
 5 Juppiter, Eliciiis qui nomine nuncupatus olim  
 6 non rite tentantes ruis.  
 7 Huc tua tela Deum, atque hominum sator, abde servitatem  
 8 in pectus aliquod barbarum  
 9 haec mecum numero plangens rogo. Verum ubi catullus  
 10 amissus in mentem redit,  
 11 flectitur huc animi mollis fuga. Tam potest ineptus  
 12 in fortibus viris dolor.
- T\_18 v.1 Si passerem poeta luxit optimus,  
 2 eluxit idem passerem.  
 3 Si stella flevit alitem Dioneum,  
 4 cessavit a fletu dolens.  
 5 Nec fors inchoavit, aut ille, aut hic. Ast  
 6 fecisse amicae sat, sat est.  
 7 At tu miselle serio, ac vero dolens  
 8 depone personam canis.
- T\_19 v.1 Corporis pusilluli umbra, magna per vestigia,  
 2 hic ubi maligna furvae regna stant Proserpinae,  
 3 intererrans, non timebis horridae specus canem ?  
 4 Qui trifauci regna voce fulminis quatit modo ?  
 5 Aut Charontis vim minacem pertimesces murcidi ?  
 6 Quando non habes minuti dona nauli, quae feras ;  
 7 aureusque ramus ille desit, unde transeas.

8 Ergo tam ferox, et audax, quamdiu dum viveres,  
 9 offer illi nostra monstro taedioso carmina ;  
 10 aere quovis, et nitellis aureis plus fulgida.  
 11 A quibus pacatus ille trans Stygem te subvehat.

T\_20 v.1 Mens sacri Genii potens,  
 2 tu poli superas juga,  
 3 tu sinus Stygios subis ;  
 4 et per omnia transvolans  
 5 ludis intemerata.  
 6 Siquid ardet in aethere,  
 7 torpet aut quid in infimis  
 8 candido imperio Jovis  
 9 Ditis imperio negri  
 10 conscia, eruta pandis.  
 11 Nulla te via lubrici  
 12 temporis cita praeterit.  
 13 Nec rigens mora detinet  
 14 certa dux pia regula,  
 15 sancta lux rationis.  
 16 Quos tibi laqueos dies,  
 17 quaeve retia texuit ?  
 18 Quas (malum) teretes plagas  
 19 ausa tendere perpulit  
 20 ut volens rapereris ?  
 21 Sancta diva, potens tui,  
 22 et tui modus o Dea,  
 23 pone jam lachrymis modum ;  
 24 pauca carmina sint satis,  
 25 si satis bene culta.  
 26 Oro mitte Catelluli  
 27 laudibus cruciare te.  
 28 Nec senescere in hoc velis  
 29 tamdiu : et mulieribus  
 30 fletibus temerari.

T\_21 v.1 Catelle, sacra qui colis vagus loca,  
 2 vireta amoena, laeta, lecta pignora,  
 3 quibus remuneratur inclytos viros,  
 4 bona aequitate sic favente Juppiter :  
 5 adi Catulli, adi Maroni hospites.  
 6 Eos salute plurima obruas, meo  
 7 tuoque nomine. Inde, siquis, unde quis  
 8 sies, rogare te velit : refer statim.  
 9 Catellus, inque Caesaris . Sat hactenus,  
 10 maligna fama namque quod supra est, tegit.

T\_22 v.1 Libet rogare, quisquis audire expetit.  
 2 Natura Neptuni gregem  
 3 an fabricarit ; aridi montis jugis

4           esse ut juberet incolam.  
 5   An penna praepes aliti Jovis data,  
 6           uti sub undis lubricum  
 7   captare anguem, aut lingulam, aut congrum, aut aprum.  
 8           Non dixeris nugas meras ?  
 9   Quid me quietum, aut Martis, et socium, et ducem,  
 10          Musisque sacratum caput,  
 11   abduxit actum in barbari caeli loca ?  
 12          Ubi nulla pietas excubat,  
 13   sed furta, Bacchus, sica, grassator, Venus,  
 14          fraus, dira pejeratio.  
 15   Et praeter haec tot optimum in animum mala,  
 16          furor perennis litium.  
 17   Quas qui abdicare debuit, dirus fovet :  
 18          ut sericatus ambulet ;  
 19   laxe habitet ; alta latifundiis tumens  
 20          multa extruat praetoria :  
 21   turgensque nostro sanguine eructet pagrum,  
 22          aut Attagena Hibericum.  
 23   Tamen ferebam fortitudine, aut morae  
 24          oblivione perdita.  
 25   Quod cura si recurreret : praesto fuit  
 26          Adamantii lepidum caput.  
 27   Qui me moneret lentitudinis meae,  
 28          cum se viderem tam catum.  
 29   Nunc, cum ille tristi morte catus hinc abit,  
 30          me me reliquit me sine.

T\_23   v.1           Primus ille qui fuit,  
           2   cui condidisse cantione fletum  
           3   non inepta visa res,  
           4   heu quas creavit mentibus ruinas  
           5   non ne oportuit prius,  
           6   considerasse, quam sibi placeret  
           7   maestus in lyra sua ?  
           8   Invitat ad se planctus. At calentes  
           9   cantus occupans moras  
 10   lassus remittet, haud satur querelis.  
 11          Quod mihi modo venit  
 12   usu, sed usu inutili, impioque :  
 13          arduis ut omnibus  
 14   spretis, canendo defleam catellum.

T\_24   v.1   Si verum est, dubiis omnia solibus  
           2   deduci ad veteris somnia limitis ;  
           3   vero nomine quod dixerimus, nihil.  
           4   Accincta assiduis poena laboribus  
           5   quare ut perpetuis corda quatit bonis ?  
           6   Quod si credidimus vitam Adamantii  
           7   aevi curriculis et spatio parem,  
           8   a vero male nos lusimus aviis.  
           9   Sin ei fors eadem, quae mihi contigit,



- 10 cur me discruciam ? Principiis suis  
11 acceptam merito si soluit fidem ?
- T\_25A v.1 Insaniam quis ullus umquam credidit  
2 esse animi miseri medicinam ?
- T\_25B v.1 Est : scimus id nos. Nam vel hic furor meus  
2 immemorem memorem facit esse catelli.  
3 Illumque tunc, cum canimus, obliviscimur.  
4 Vix bene dissidium hoc mihi credere promptum est.
- T\_26 v.1 Catelle norma candidi splendoris, et nitoris,  
2 quicumque vibrans fulgurat a Bengalae lapillis.  
3 Tibi unde nomen (ut reor) fluxit jubente fato.  
4 Idemque lacte purior, tum mitior columba,  
5 simplex tori quam nesciens fert in sinu puella.  
6 Catelle turbulentior leone vulnerato,  
7 quem vis acuta perculit Massyliae sagittae.  
8 Herique pernox assecla comesque lucubrantis,  
9 quamvis gelu spumescerent stringente cuncta Coro.  
10 Ubi te locorum quaeritem ? Quis hinc viam docebit ?  
11 Tecum haud queo jam vivere hic, et absque te molestum est.
- T\_27 v.1 Colore tincta noctis  
2 canopicae Syenes  
3 ut vecta turba pictis  
4 testaceis faselis,  
5 aut quas papyrus armat,  
6 devexioris undae  
7 incondito boatu  
8 tristes modo cientes  
9 suum canunt Osirim.  
10 Myrrha satum Cythere  
11 ultura fortis aprum.  
12 Ut Aelinum sacrabant  
13 jam Doriae Camenae.  
14 Ut mollis illa turba  
15 stalagmiata Midae  
16 Borimum vocat puellum.  
17 Quibus tuum ministras  
18 sonum beata Musa :  
19 sic nunc tuo poetae,  
20 qui te modis frequentat,  
21 modis inusitatis  
22 succurre Larga : rore  
23 tuoque tinge labra,  
24 quae sicca sunt vocando  
25 pusillulum catellum ;  
26 ne lacrymae putent se

27 plus posse ad irrigandum  
 28 arentis oris oras.  
 29 Et praeferunt seipsas  
 30 liquidissimis Camenis.

T\_28 v.1 Seu fecit aetas, sive tempus asperum,  
 2 quo tenebrosa faces rutilas quatit  
 3 Tisiphone sata nocte, ciens male sana sorores,  
 4 ad ultionis ultimam novae gradum :  
 5 seu potiora gravis studiis otia  
 6 debita natura, consultis debita fatis ;  
 7 id vindicarunt tempus abscissum sibi.  
 8 Desierant celebres Aganippides,  
 9 nec penitus nostris numeris aversus Apollo.  
 10 Olim medullas saevus incendens amor  
 11 me mihi surripuit male sobrio.  
 12 Mollia tum rigido dictarunt carmina Musae.  
 13 Quin usque ad ipsum saepe duxerunt Deum,  
 14 quem meriti canerem gravibus modis.  
 15 Et non tam gravibus Heroas, et Heroinas.  
 16 At nunc superba mors triumpho nobili  
 17 exiliens superato Adamantio  
 18 (mirum) ut amara facit dulces mihi fundere versus.

T\_29 v.1 Multa lusimus proterve :  
 2 sed protervior fuit mors.  
 3 Sic supinitas Thaliae  
 4 ex supinitate nata est.  
 5 Fata dira, saeva fata,  
 6 mors maligna, mors amara,  
 7 redde mi meum catellum,  
 8 aut fer, ut male audiatis.

T\_30 v.1 Musa deliciae Jovis, nectarisque ministra,  
 2 quod cum suavisonis fluens Hippocrenidos undis,  
 3 spiritus creat arduos, arduosque poetas.  
 4 Non tuas tibi concidet turpis hircus ad aras.  
 5 Bacchus hunc olidum hauriat, fumidumque cruorem.  
 6 Quaeque vinivoro jacet turba victa sopore.  
 7 Nidor hinc male sobrios expatrabit ocellos.  
 8 Nec focos tenera imbuet rapta bucula matri.  
 9 Illa quid meruit, precor ? Quidve vita bidentum,  
 10 fiat ut levior mihi, leniorque Camena ?  
 11 Sed tibi dabo muneri, rara dona, catellum,  
 12 si tu eum celebri dabis posse dicere cantu.  
 13 Si mihi Stygii Jovis furva Juno remittet.

T\_31 v.1 Praesidio fortis iniquae

- 2       scelesta mors ausa fuit nefandum  
3               flagitium dira patrare.  
4       Quid pejus est quam rueret impotenter  
5               alma parens <x x> quod orbis     (lacune : 2 syllabes)  
6       natura dans, confidit orbitati ?  
7               Si bene fit, quod fit, ut exstet,  
8       quid, quod facit, ne, quod erat, sit ultra ?  
9               Redde mihi saeva catellum.  
10       Aut te vocabo sobolem Megaerae.
- T\_32    v.1       Verona mater, orbis aureum decus sive sicci,  
2               seu rorulenti marginem ultimum velis comparare.  
3       Ecquid pudebit inclytos Lares meos lenitatis ?  
4       Quod mollicellum flevimus favente Musa catellum.
- T\_33    v.1               Regina vocis almae,  
2       quae modulis concelebras gesta virum Thalia ;  
3               seu tendis excitare  
4       funditus e principiis semina dia rerum ;  
5               seu ducis ad maritum  
6       virgo tegens virgineum flammeolo pudorem.  
7               Est munerum tuorum  
8       flectere crudam precibus connubiis solentem.  
9               O lacrymas suavi  
10       nectare mulce vario carmine temperatas,  
11               quas cogor hic calentes  
12       fundere nunc instituens ad tumulum catelli.
- T\_34    v.1       Momenta trucis livida temporis :  
2               quae perpetuis rediviva rotis  
3               sine delectu, sine respectu  
4               crudeliter omnia consumitis ;  
5               audite, rogo : dicite contra.  
6       Orbi melius nonne fuisset  
7       domino catullum superesse pio :  
8       quam nihil esse, quod aliquid fuerat ?